Joan. Prevotius Cl^{mus}. et Ecc^{mus}. Medicus Patavinus

Anno 1606. Vidi inter libros Francisci Podecathari ex Nobilissima Cypria familia (cum quo summa erat familiaritas) pervetustum Breviarium, maximæ apud eum venerationis, quod à S. Elisabetha Hungariæ olim Regina; à majorib. olim datum asservaret, in mutuæ benevolentiæ symbolum. In hujus libri vestibulo, remedium ad podagram, illius Reginæ manu inscriptum, mihi oblatum fuit perlegendum; quod his formalib. verbis, q. inde exscripsi erat expressum.

Ego Elisabetha Hungariæ Regina Anno ætatis LXXII multum infirma et podagrosa; usa sum per annum unum ista recepta, quam mihi dedit quidam antiquus Eremita, quem neq ante, nec post videram: et fui citò sanata ac virib. restituta; atq omnib. apparens ultra modum pulcra; ut Rex Poloniæ me petierit in matrimonium, cum ego et ille vidui essemus. Renui tamen id agere

467

amore Dni Xri Jesu Christi: à cujus Angelo me credo accepisse istam medicinam.

℞. Aquæ Vitæ quater passatæ partes tres.
Sumitatum et florum rosmarini partes duas.
Ponantur in vase benè clauso simul, stentque in loco calido per 50 horas, post in alembico destillentur, et manè in cibo seu potu sumatur ℨi. singulis septimanis semel: omni manè lavetur cum ea facies, et membra ægra. Renovat vires, acuit ingenium, mundificat medullam et nervos, visum instaurat et conservat, vitamque auget.

De Essentia Citri Judicium Medicorum Patav.

Nos infrascripti Medicinæ Professores fidem facimus et attestamur, Quintas totius Citri atque Limonis Essentias appellatas, quæ ab Illustri D. Camillo Pareschi rerum Chymicarum peritissimo, summa diligentia industriaque hic præparantur, non modò omnib. pollere virtutib. quæ malo Citrio atque Limoni à veteribus tribuuntur; sed etiam majore tenuitate, ac puritate